



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, E Societate Iesv, In
Collegio Romano Eivsdem Societatis olim Theologiæ
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis. Disputationes
Scholasticæ De Incarnatione Dominica**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1653

6. Vtrùm Christus in quantum homo sit Deus, vel persona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81011)

*Virum Christum in quantum homo sit
Deus, vel personam*

117
v. Hominis
notio.

Difficultas precipua oritur ex dictis de significatione illius vocis *homo*, de qua diximus saepe, significare in recto suppositum, & de connotato naturam humanam. Hinc autem videtur fieri, quod Christus in quantum homo includat & suppositum, & humanitatem; cum ergo ex parte suppositi sit Deus, consequens videtur, quod in quantum homo sit etiam Deus, saltem ex ea parte, qua homo includit personalitatem; unde a fortiori sequitur, quod in quantum homo sit persona, & quidem persona diuina, cum homo, ut homo addat aliquid supra humanitatem, quod quidem non est aliud, nisi personalitas, per quam distinguitur homo in concreto ab humanitate in abstracto.

118
Suppositio pro
sensu quaestio-
nis.

Pro resolutione suppono ex summalis, particularibus reduplicatiuis, *quatenus, in quantum, & similes* posse facere duos sensus, alterum reduplicatiuum, alterum specificatiuum. Reduplicatiuus est, quando praedicatum conuenit subiecto ratione illius, quod reduplicatur, v. g. *homo in quantum animal est sensitivus*, quia nimirum *sensitivum* conuenit homini ratione animalitatis: quod rursus contingit dupliciter. Primum quando praedicatum est de conceptu illius, quod reduplicatur, vel de integritate illius: ut si dicas, *Christus in quantum homo est rationalis*, in quantum homo habet manus, &c. quae praedicata sunt de conceptu, vel de integritate hominis. Secundum sit sensus reduplicatiuus, quando id, quod reduplicatur, est causa, vel radix praedicati tanquam proprietatis, vel effectus, &c. ut cum dicimus, *homo in quantum rationalis est risibilis*, igitur ut calidus calefacit: homo quatenus est liber peccat, &c.

119

Sensus vero specificatiuus harum particularum diuersimode solet declarari. Primum, quando denotatur solum non repugnantia praedicati cum subiecto, v. g. *Iustus in quantum iustus peccare potest venialiter*, hoc est, non repugnat peccatum veniale coniungi cum iustitia, & sanctitate. Secundum, quando particula illa denotat solum, & designat subiectum, cui peculiariter conuenit praedicatum illud, v. g. *Christus in quantum homo est albus*, hoc est, albedo competit soli humanitati, licet non conueniat illi per se, sed per accidens. Tertium, quando praedicatum non conuenit subiecto simpliciter, sed solum secundum quid, v. g. *homo secundum animam est immortalis*, secundum materiam est pura potentia; & *Ethiops secundum dentes est albus*, &c.

120
Afferio prima.

Hoc supposito, & omittis aliis sententiis, quia tota controuersia est de nomine, dico primum, proprie & in rigore loquendo, illa propositio, *Christus in quantum homo est Deus*, non est admittenda. Haec est communis Theologorum cum S. Thoma in praesenti art. 11. quos sequuntur Suarez, & Valquez ibi, & probari potest, quia in primis in sensu reduplicatiuo non potest esse vera, cum diuinitas non sit de essentia, vel conceptu hominis, ut homo est, nec eius passio, vel effectus proprius; quare sicut de eodem homine albo, & Philosopho non possumus dicere, quod est albus in quantum Philosophus; sic neque de

Christo dici potest, quod sit Deus in quantum est homo.

Rursus nec in sensu specificatiuo esse propriam illam loquutionem, probatur, quia si illa esset loquutio propria, haec etiam esset proprie admittenda, *Christus in quantum Deus est homo*; nullus enim sensus specificatiuus adduci potest, in quo illa prior propositio verificetur, & non haec posterior. Hanc autem admittere in sensu proprio videtur esse contra mentem omnium fidelium. Alioquin possemus etiam dicere in sensu proprio, Christum in quantum Deum passum esse, crucifixum, flagellatum, & similia, quae passum reprobantur à Conciliis & Patribus. Unde fatendum est, sensum illum specificatiuum supra explicatum, quo significamus solum non repugnantiam, seu composibilitatem vnus cum alio, non sufficere ad verificandas illas propositiones in sensu proprio, sed in sensu improprio, qui tunc solum admittendus est, quando ex antecedentibus, & sequentibus colligitur. Ille autem secundus sensus, quando particula in quantum designat subiectum, cui competit praedicatum, non habet locum in praesenti, cum humanitas non sit peculiare subiectum, cui conueniat diuinitas in Christo, nec contra: vel si id admittatur, sensus ille non erit proprius, cum ex eo sequantur eadem inconuenientia, quae contra primum. Denique tertius sensus specificatiuus supra positus, quando scilicet significamus, praedicatum non conuenire subiecto simpliciter, sed solum secundum quid, non habet locum in praesenti, cum neque illud praedicatum Deus conueniat Christo secundum quid, sed omnino simpliciter, & absolute; neque si conueniret secundum quid, conueniret secundum humanitatem, ut constat, sed secundum diuinitatem. In nullo ergo sensu proprio illa propositio est admittenda.

Dico secundum, illa propositio, *Christus in quantum homo est persona, seu hypostasis*, videtur admittenda in aliquo sensu proprio. Haec videtur esse S. Thomae art. 12. quem sequuntur alij, quos refert, & sequitur Valquez disp. 69. cap. 2. Intellego autem conclusionem positam, ut non solum sit vera illa propositio in sensu specificatiuo, sed etiam in sensu reduplicatiuo. Probatur ex dictis, quia ad veritatem sensus reduplicatiui sufficit, quod vel praedicatum sit de conceptu illius, quod reduplicatur, vel saltem sit passio, vel quasi passio illius, ut supra diximus. Vterque autem titulus reperitur in praesenti, & utrumque considerauit S. Thomas in corpore illius articuli ad veritatem illius propositionis defendendam. Nam si homo reduplicetur non solum secundum naturam humanam, sed ad quatenus sumptus in concreto, certum est, prout sic includere non solum humanitatem, sed etiam suppositum, seu personalitatem: quare sicut verum est, quod homo ut homo distinguitur ab humanitate, & addit aliquid supra illam, sic etiam verum erit quod homo, ut homo includit hypostasim, seu personalitatem, & per consequens personalitas erit de conceptu hominis, ut homo est. Sic etiam loquendo de concreto accidentali, possumus dicere, album ut album non est sola albedo, sed subiectum, & albedo ergo similiter de concreto substantiali poterit dici, homo ut homo non est sola humanitas, sed etiam suppositum, sed hypostasis. Deinde

Deinde, etiam si reduplicatio fiat supra humanitatem, videtur adhuc posse admitti illam propositionem, quia licet humanitas non includat personalitatem, exigit tamen illam, quasi passionem & proprietatem; esset enim humanitas in statu violento, si per possibile, vel impossibile careret omni subsistentia; ergo sicut verum est dicere, *homo in quantum corpus habet vires*, quia ybicatio est passio necessarii consequta ad omne corpus sic erit verum, quod Christus in quantum homo habet personalitatem aliquam, cum sit etiam passio humanitatis habere aliquam subsistentiam.

S. Thomas loco citato addit, illam propositionem *Christus in quantum homo est persona*, reduplicando supra humanitatem posse accipi in aliquo sensu falso, quatenus potest significare, quod natura humana Christi est per se seorsum subsistens a natura diuina; qui sensus coincidit cum Nestorio ponente in Christo duas personas, alteram Dei, alteram hominis; quem etiam sensum in illa propositione praeter Caietan. Capreol. & alios Thomistas agnoscunt Alex. Alensis 3. p. q. 6. memb. 3. & Bonauentura in 3. d. 10. art. 1. q. 2. Sed P. Valquez ubi supra num. 7. dicit, se non videre, quomodo verba illius propositionis eum sensum reddere possint. Ceterum si verborum proprietates attendatur, non videtur sensus alienus, cum enim denominatio personae desumatur ab hoc quod est per se subsistere, vt suppono, illud solum videtur posse accipere talem denominationem, quod per se, & in se existat, & subsistat. Vnde manus, vel pes non dicuntur subsistere per se, aut in se, sed in alio, nempe in homine; forma item in equo non existit per se, sed in composito: natura autem humana in nobis subsistit quidem in se, & per se, non in alio, quod quidem habet a personalitate propria: at vero in Christo, in quo non habet propriam personalitatem, non existit per se, nec subsistit in se, sed in alio. Quia ergo illa propositio, *Christus vt homo est persona*, reduplicando supra naturam humanam, videtur tribuere humanitati illum effectum formalem, qui tribuitur aliis humanitatibus existendi, & subsistendi in se, & per se, ideo S. Thomas & alij merito dixerunt, posse latere sensum falsum, & haereticum in illa propositione, quia humana natura non est per se seorsum subsistens a diuina natura. Quia tamen illa propositio adhuc reduplicando supra naturam humanam potest facere illum alium sensum, quod scilicet naturae humanae Christi necessario conueniat esse in aliqua persona, vel propria, vel aliena; ideo S. Thomas merito docet, posse illam propositionem admitti in eo sensu Catholico.

Dico tertio: propositio illa, *Christus in quantum homo est persona diuina, est hypostasis Verbi*, &c. in aliquo sensu non omnino improprio admitti potest. Hanc tenent aliqui recentiores; Basilias Legionensis tom. 1. var. disp. relect. 4. & alij, quod prius docuisse videtur Valeria tom. 4. disp. 1. quest. 23. punct. 1. ubi dicit, Christum posse dici filium Patris in quantum hominem, propter hypostasim Verbi, & filij, quam vt homo includit.

Probari autem potest ex dictis pro conclusione praecedenti, quia nimirum Christus vt homo in concreto, & adaequate sumptus non includit solam humanitatem, sed etiam suppositum, &

Card. de Lugo de Incarnat.

hypostasim: haec autem de facto non fuit alia, nisi hypostasis Verbi; ergo vt homo adaequate sumptus includit hypostasim Verbi, sine illa enim non intelligitur homo, sed humanitas.

Obiicies primo, Christus vt homo reduplicat solum supra ea, quae sunt de conceptu hominis, sed de conceptu Christi vt hominis, licet sit aliqua personalitas indeterminata; non est tamen haec, esset enim homo; imò, & hic idem homo numero, licet non haberet hanc personalitatem, sed aliam; sicut est idem numero Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, licet personae sint distinctae; ergo Christus, vt homo non includit hanc personalitatem diuinam, sed aliquam indeterminatam, ac per consequens non est dicendum, *Christus vt homo est haec persona filij, sed est aliqua persona*.

Respondeo, particulam reduplicatiuam posse dupliciter accipi. Primo, ita vt reduplicet supra conceptum metaphysicum rei quae reduplicatur. Secundo, ita vt reduplicet supra entitatem physicam illius. Si priori modo accipiat, procedit argumentum factum, & fateamur, quod Christus in quantum homo, non includit in suo conceptu metaphysico hanc personalitatem determinatam, sed vel rationem communem, vel indeterminatam, & distinctam huius, vel illius personalitatis, & in hoc sensu non posset dici, quod Christus vt homo sit persona Verbi. Posteriori autem modo Christus in quantum homo includit personalitatem Verbi, quia reduplicatio sit non solum supra id quod resplendet in conceptu nostro, & eo modo, quo resplendet, sed supra id totum, quod includit physicè, & realiter, & per quod constituitur a parte rei in esse hominis; de facto autem hoc concretum constituitur a parte rei per personalitatem Verbi; atque ideo in hoc sensu verum erit, quod Christus in quantum homo est haec persona, seu haec hypostasis Verbi diuini.

Explicati, & probari potest haec solutio exemplo aliarum propositionum, quae ab omnibus admittuntur; nam in primis loquendo de Christo, & distinguendo in ipso praedicata, quae illi conueniunt ratione diuinitatis, & ea quae illi conueniunt ratione humanitatis, dicere solemus, *Christus in quantum homo est filius Mariae Virginis*, *Christus in quantum Deus est filius Patris aeterni*, *est Verbum Patris*, &c. & tamen, si loquamur in rigore metaphysico, Christus in quantum Deus praecise, non dicit in illo conceptu metaphysico filiationem, nec relationem, aut notionem Verbi: *Deus enim solum dicit naturam diuinam*, & personalitatem aliquam in confuso, seu indeterminatam; in iis tamen propositionibus non loquimur cum eo rigore, sed in sensu physico, & reali, explicando id, quod realiter includit Christus, vt Deus, seu quod constituitur realiter illud concretum *Deus* in Christo; quia ratione verum est, quod constituitur de facto per personalitatem, & notionem Verbi. Similiter loquendo de eodem Christo, vt homine, dicere solemus, *Christus vt homo, habet proprietates, & potentias humanas, habet hunc intellectum, hanc voluntatem, hoc temperamentum*; quae etiam propositio, loquendo in rigore metaphysico, esset falsa, quia Christus vt homo praecise, non habet hunc intellectum, & voluntatem, sed vt hic homo est; nam homo vt hic non petit has potentias determinate. Sensus

Fl h ergo

ergo illius propositionis non debet esse secundum conceptum metaphysicum, sed realis, & physicus de humanitate reali, quæ de facto est in Christo, & ratione cuius habet has potentias, intellectum, voluntatem, &c. Sic ergo in eodem sensu reali & physico verum erit quod Christus in quantum homo, sit persona Verbi, quia de facto non per aliam personalitatem, nisi per istam, constituitur homo in concreto in ratione hominis in Christo.

129
Obiectio secunda.

Sed contra obiicies secundò, ergo in eodem sensu reali, & physico verum erit dicere, *Christus in quantum homo est Deus*, contra id, quod diximus in prima conclusione. Probatur sequela, quia licet secundum conceptum metaphysicum homo constituitur persona per solam personalitatem, ut condistinctam virtualiter à natura diuina; de facto tamen, & realiter loquendo, illa personalitas est natura diuina; ergo Christus ut homo, realiter loquendo, non solum includit personalitatem Verbi, sed etiam naturam diuinam; ergo in sensu reali, *Christus in quantum homo, est Deus*.

130
Refellitur.

Respondeo negando sequelam. Ratio autem est, quia particula illa reduplicatiua in quantum, & alia similes, habent hanc vim ex modo suo significandi, ut quantum fieri possit, condistinguant in subiecto id, quod reduplicatur ab alia parte, seu predicato. v. g. cum dicimus, *album in quantum album, non est dulce*, particula illa in quantum, accipit album, condistinctum à dulci; sic etiam quado dicimus *homo in quantum rationalis*, accipimus rationale cōdistinctum ab animali. Similiter ergo, cum dicimus, *Christus in quantum homo*, illa reduplicatio condistinguit hominem à Deo, & loquitur de homine prout condistincto à Deo, non enim est aliud, à quo distinguat, atque adeò non possumus dicere, *Christus in quantum homo, est Deus*. At verò quando dicimus, *Christus in quantum homo, est persona Verbi*, manet adhuc sua vis particula reduplicatiua. nam adhuc loquitur de homine, distinguendo eum à Deo. nam Christus homo adhuc non intellectus ut Deus, nec ut includens naturam diuinam, intelligitur homo in concreto includens personalitatem Verbi diuini, & in eo sensu verificari adhuc potest propositio reduplicatiua.

131
Obiectio tertia.

Hinc solui potest similis obiectio, quæ fieri potest contra conclusionem ad probandum, quod si est vera illa propositio, *Christus in quantum homo, est filius Dei, & persona Verbi*, poterit etiam esse vera hæc, *Pater in quantum Deus, est Pater*; quia sicut Christus in quantum homo includit suppositum aliquod indeterminatum terminans naturam humanam; sic Pater in quantum Deus in concreto includit suppositum aliquod indeterminatum terminans naturam diuinam; ergo sicut in sensu reali verum est, quod Christus in quantum homo includit personam Verbi; sic in eodem sensu reali verum erit, quod Pater in quantum Deus includit personalitatem Patris. Consequens autem videtur esse contra communem sensum Theologorum, & contra Augustinum 7. de Trinit. cap. 4. dicentem, aliud esse in Patre, esse Patrem, aliud esse Deum, seu esse simpliciter.

132
Dissoluitur.

Respondeo ex dictis negando etiam sequelam propter eandem rationem, quia nimirum in illa propositione, *Pater in quantum Deus, est Pater*, particula illa reduplicatiua in quantum, condistinguit Patrem ut Deum ab ipso ut Patre, cum enim non inueniat aliud, à quo condistinguat, exercet suam vim condistinguendo Deum à Patre, unde falsa est propositio, quia de Deo, ut condistincto à Patre non potest dici quoddam sit Pater; at verò in nostra propositione particula in quantum, inuenit aliud, à quo condistinguat Christum, ut hominem, nempe ab ipso ut Deo, licet non condistinguat ipsum à persona; quare manet sensus integer, & perfectus particula reduplicatiua, licet homo accipiat prout includit personalitatem Verbi, adhuc enim ex vi reduplicatiua accipitur ut non includens naturam diuinam, sed solum secundum conceptum hominis in concreto constantis ex natura humana, & tali personalitate.

DISPUTATIO XXIV.

De vnitate Christi.

An Christus sit vnus, vel vnum? an verò plures, vel plura.



Ecce est etiam questio de modo loquendi, de qua Durandus in 3. d. 6. q. 1. num. 13. voluit ex regulis Grammaticæ autem magna ex parte locum questionis, eo quod *Christum* masculini generis non possit dici vnum, nec plura, propter errorem in Grammatica. Hoc tamen ab omnibus reiecit, quia consuetum est Latinis auctoribus ipsum nomen adiectiuum usurpare in genere neutro per modum substantiui, tunc enim subintelligitur aliud substantiuum; sic enim dixit Virgilius, *Triste lupus stabulis*, id est, *res cristis*, & Christus Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus*.

Alij ergo dicunt, Christum posse dici duo, vel plura, non tamen duos, vel plures. nam duo, vel plures in genere masculino referuntur ad personas, in genere autem neutro ad naturas; unde Pater æternus, & filius non sunt vnus, sed vnum, propter identitatem naturæ, & distinctionem personarum; quare in Christo, in quo est diuersitas naturæ, cum vnitatem personæ, debemus contrariò dicere, quod ipse non est vnum, sed vnus, nec sit plures, sed plura, qui modus loquendi colligi videtur ex Patribus, ut mox videbimus.

P. Vasquez in præsentis, *diff. 70. cap. 3. negat*, posse in rigore Christum dici duo, vel plura, etiam in genere neutro; concedit tamen, posse dici aliud, & aliud, seu hoc, & illud, sicut loquuntur videtur aliqui ex Patribus.

Dico primò: Christus non est plures, vel duo simpliciter, & absolute in genere masculino. In hoc conveniunt omnes cum S. Thoma in præsentis 17. art. 1. & videtur definitum in Concilio Alexandrino in *Epist. ad Nestorium*, approbata in Concilio Ephesino, & Chalcedonensi, quæ est 10. inter epistolas Cyrilli, quod idem declaratur in eodem Concilio anathematismo 2. 3. & 9. & in Chalcedonensi aet. 4. circa medium, & in Concilio Constantinopolitano V. collat. 8. *can. 1.*